VAERItur interea quis tantæ pondera molis
Sustineat, tantoq; queat succedere regi.
Destinat imperio clarum prænuncia veri
Fama Numam, non ille est is cognosse Sabinæ
Gentis habet ritus, animo maiora capaci
Concipit, & quæ sit rerum natura requirit.
Huius amor curæ, patria, curibusq; relictis
Fecit, vt Herculei penetraret ad hospitis vrbem.
Graia quis Italicis autor posuisset in oris
Mœnia quærenti, sic e senioribus vnus
Rettulit indigenis, veteris non inscius æui.
Diues ab oceano bobus Ioue natus Iberis
Littora fœlici tenuisse Lacinia cursu
Fertur, & armento teneras errante per herbas
Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse, & requie longum releuasse laborem.
Atq; ita discedens æuo dixisse nepotum,
Hic locus vrbis erit, promissaq; vera fuerunt.
Nam fuit argolico generatus Alemone quidam
Mycilus, illius disq; acceptissimus æui.
Hunc super incumbens pressum grauitate soporis
Clauiger alloquitur, lapidosas Aeseris vndas
I pete diuersi, patrias age desere sedes.
Et nisi paruerit multa, ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter, somnusq;, deusq;.
Surgit Alemonides, tacitaq; recentia mente
Visa refert, pugnatq; diu sententia secum.
Numen abire iubet, prohibent discedere leges.

Pœnaq; mors posita est patriam mutare volenti.
30 Candidus oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sydereum nox.
Visus adesse idem deus est, eademq; monere,
Et nisi paruerit plura, & grauiora minari.
Pertimuit, patriumq; simul transferre parabat
35 In sedes penetrale nouas, fit murmur in vrbe,
Spretarumq; agitur legum reus, vtq; peracta est
Causa prior, crimenq; patet sine teste probatum,
Squallidus ad superos tendens reus ora, manusq;,
O cuius cœlum bis sex fecere labores
40 Fer precor, inquit, opem, nã tu mihi criminis autor.
Mos erat antiquis niueis, atrisq; lapillis
His damnate reos, illis absoluere culpa.
Tunc quoq; sic data est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in vrnam.
45 Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album,
Candidaq; herculeo sententia numine facta
Soluit Alemoniden, grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ, ventisq; fauentibus æquor
50 Nauigat Ionium, Lacedæmoniũq; Tarentum
Præterit, & Sybarim, Salentinumq; Neæthum
Thurinosq; sinus, Temesenq;, & Iapygis arua.
Vixq; pererratis quæ spectant littora terris
Inuenit Aeserei fatalia fluminis ora.
55 Nec procul hinc tumulũ, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, iussaq; ibi mœnia terra
Condidit, & nomen tumulati traxit in vrbem.
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci, positæq; Italis in finibus vrbis.

Vir fuit hic ortu Samius, ſed fugerat vna 60
Et Samon, & dominos, odioq; tyrannidis exul
Sponte erat, isq; licet cœli regione remotus,
Mente deos adiit, & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.
Cumq; animo, & vigili perſpexerat omnia cura, 65
In medium diſcenda dabat, cœtumq; ſilentum,
Dictaq; mirantum magni primordia mundi,
Et rerum cauſas, & quid natura, docebat
Quid deus, vnde niues, quæ fulminis eſſet origo,
Iuppiter, an venti diſcuſſa nube tonarent, 70
Quid quateret terras, qua ſydera lege mearent,
Et quodcunq; latet, primusq; animalia menſis
Arguit imponi, primus quoq; talibus ora
Docta quidem ſoluit, ſed non & credita verbis.
Parcite mortales dapibus temerare nefandis 75
Corpora, ſunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidæq; in vitibus vuæ.
Sunt herbæ dulces, ſunt quæ miteſcere flamma,
Molliriq; queant, nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore. 80
Prodiga diuitias, alimentaq; mitia tellus
Suggerit, atq; epulas ſine cæde, & ſanguine præbet.
Carne feræ ſedant ieiunia, nec tamen omnes.
Quippe equus, & pecudes, armẽtaq; gramine viuũt
At quibus ingenium eſt, immanſuetũq;, ferumq; 85
Armeniæ Tigres, iracundiq; Leones,
Cumq; lupis, vrſi dapibus cũ ſanguine gaudent.
Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Congeſtoq; auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis viuere leto. 90

Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat, nil te nisi tristia, mandere sæuo
Vulnera dente iuuat? ritusq; referre Cyclopum?
Nec nisi perdideris alium, placare voracis
95 Et male morati poteris ieiunia ventris?
At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aues tutæ mouere per aera pennas,
100 Et lepus impauidus mediis errauit in aruis,
Nec iua credulitas piscem suspenderat hamo.
Cuncta sine insidiis, nullamq; timentia fraudem,
Plenaq; pacis erant, postq̃ non vtilis autor
Victibus inuidit, (quisquis fuit ille deorum,
105 Corporeasq; dapes auidam demersit in aluum,
Fecit iter sceleri, primoq; e cæde ferarum
Incaluisse potest maculatum sanguine ferrum.
Idq; satis fuerat, nostrumq; petentia letum
Corpora missa neci salua pietate fatemur.
110 Sed quã danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit, & prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemq; interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
115 Dicitur vltoris, nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis oues placidũ pecus? inq; tuendos
Natum homines pleno quæ fertis in vbere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaq; magis, quam morte iuuatis.
120 Quid meruere boues, animal sine fraude, doloq;?
Innocuum, simplex natum tolerare labores?

Immemor est demũ, nec frugũ munere dignus,
Qui potuit curui dempto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum, qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum, 125
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, q̃ tale nefas committitur, ipsos
Inscripsere deos sceleri, numenq̃ supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere iuuenci,
Victima labe carens, & præstantissima forma, 130
(Nam placuisse nocet) vittis præsignis, & auro,
Sistitur ante aras, auditq̃ ignara precantem,
Imponiq̃ suæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges, percussaq̃, sanguine cultros
Inficit in liquida præuisos forsitan vnda. 135
Protinus ereptas viuenti corpore fibras
Inspiciunt, mentesq̃ deum scrutantur in illis.
Vnde fames homini vetitorũ tanta ciborum est?
Audetis vesci genus, o mortales? quod oro
Ne facite, & monitis animos aduertite nostris. 140
Cumq̃ boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite, & sentite colonos.
Et quoniã deus ora mouet, sequar ora mouentem
Rite deum, Delphosq̃ meos, ipsumq̃ recludam
Aethera, & augustæ reserabo oracula mentis 145
Magna, nec ingeniis inuestigata priorum,
Quæq̃ diu latuere, canam iuuat ire per alta
Astra, iuuat terris, & inerti sede relicta,
Nube vehi, validiq̃ humeris insistere Atlantis.
Palantesq̃ homines passim, ac rationis egentes 150
Despectare procul, trepidosq̃, obitũq̃ timentes
Sic exhortari, sortemq̃ euoluere fati.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid ſtyga, qd tenebras, & nomina vana timetis
155 Materiem Vatum, falſiq; pericula mundi?
Corpora ſiue rogus flamma, ſeu Tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non vlla putetis.
Morte carent animæ, ſemperq; priore relicta
Sede nouis domibus viuunt, habitantq; receptæ.
160 Ipſe ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus erã, cui pectore quondam
Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum leuæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteis templo Iunonis in argis.
165 Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus,
Spiritus, eq; feris, humana in corpora tranſit,
Inq; feras noſter, nec tempore deperit vllo.
Vtq; nouis facilis ſignatur cæra figuris,
170 Nec manet, vt fuerat, nec formã ſeruat eandem,
Sed tamẽ ipſa eadẽ eſt, animã ſic ſemper eandem,
Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.
Ergo ne pietas ſit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefandas
175 Exturbare animas, ne ſanguine, ſanguis alatur.
Et quoniam magno feror æquore, plenaq; ventis
Vela dedi, nihil eſt toto quod perſtet in orbe.
Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago.
Ipſa quoq; aſſiduo labuntur tempora motu,
180 Non ſecus, ac flumẽ, neq; enim conſiſtere flumen,
Nec leuis hora poteſt, ſed vt vnda, impellitur vnda,
Vrgeturq; eadem veniens, vrgetq; priorem,
Tempora ſic fugiũt pariter, pariterq; ſequũtur.

Et noua ſunt ſemper, nam q̃d fuit ante, relictũ eſt,
Fitq̃ q̃d, haud fuerat, momẽtaq̃ cuncta nouãtur. 185
Cernis & vt menſas in lucem tendere noctes.
Et iubar hoc nitidum, nigræ ſuccedere nocti.
Nec color eſt idem cœli, quum laſſa quiete
Cuncta iacent media, quũq̃ albo Lucifer exit
Clarus equo, rurſusq̃ alius, quũ præuia lucis 190
Tradendum Phœbo Palantias inficit orbem.
Ipſe dei clypeus, terra quum tollitur ima,
Mane rubet, terraq̃ rubet, quum conditur ima.
Candidus in ſummo eſt, melior natura, quod illic
Aetheris eſt, terræq̃ procul contagia fugit. 195
Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt vſquam, ſemperq̃ hodierna, ſequente
Si creſcit, minor eſt maior ſi contrahit orbem.
Quid non in ſpecies ſecedere quattuor annum
Aſpicis ætatis peragentem imitamina noſtræ? 200
Nam tener, & lactens, Puericq̃ ſimillimus æuo,
Vere nouo eſt, tunc herba nitens, & roboris expers
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.
Omnia tum florent, florumq̃ coloribus almus
Ludit ager, neq̃ adhuc virtus in frondibus vlla eſt. 205
Tranſit in æſtatem poſt ver, robuſtior annus,
Fitq̃ valens iuuenis, neq̃ enim robuſtior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla eſt.
Excipit autumnus poſito feruore iuuentæ
Maturus, mitisq̃, inter iuuenemq̃, ſenemq̃. 210
Temperie medius, ſparſus quoq̃ tempora canis
Inde ſenilis Hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet, alba capillos.
Noſtra quoq̃ ipſorum ſemper, requieq̃ ſine vlla

215 Corpora vertuntur, nec q̃d fuimus ve, ſumus ve
Cras erimus, fuit illa dies, qua ſemina tantum,
Spesq; hominũ, primæ, matrisq; habitauimus Aluo.
Artifices natura manus admouit, & angi
Corpora viſceribus diſtentæ condita matris
220 Noluit, ecq; domo vacuas emiſit in auras.
Editus in lucem iacuit ſine viribus infans,
Mox quadrupes, rituq; tulit ſua mẽbra ferarum,
Paulatimq; tremens, & non dum poplite firmo
Conſtitit, adiutisq; aliquo conamine neruis,
225 Inde valens, veloxq; fuit, ſpaciumq; iuuentæ
Tranſit, & emeritis medij quoq; temporis annis,
Labitur occiduæ per iter decliue ſenectæ.
Subruit hoc æui, demoliturq; prioris
Robora, fletq; Milon ſenior, cum ſpectat inanes
230 Illos, qui fuerant ſolidarum morte ferarum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoq;, vt in ſpeculum rugas conſpexit aniles
Tyndaris, & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa vetuſtas
235 Omnia deſtruitis, vitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.
Hæc quoq; non perſtant, quæ nos elemẽta vocamus,
Quasq; vices peragant, animos adhibete, docebo.
Quattuor æternus genitalia corpora mundus
240 Continet, ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoq;
Pondere in inferius tellus, atq; vnda feruntur,
Et totidem grauitate carent, nulloq; præmente
Alta petunt aer, atq; aere purior ignis.
Quæ quanq̃ ſpacio diſtant, tamen omnia fiunt
245 Ex ipſis, & in ipſa cadunt, reſolutaq; tellus

In liquidas rarescit aquas, tenuatur in auras,
Aeraq; humor abit, dempto quoq; pondere, rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemq; retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit, 250
Hinc in aquas, tellus glomerata cogitur vnda,
Nec species sua cuiq; manet, rerumq; nouatrix
Ex aliis, alias reparat natura figuras.
Nec perit in tanto quicq̃ (mihi credite) mundo,
Sed variat, faciemq; nouat, nasciq; vocatur 255
Incipere esse aliud, quã quod fuit ante, moriq;
Desinere illud idem, quũ sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc, summa tamẽ omnia constant,
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim, sic ad ferrum venistis ab auro 260
Sæcula, sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego quod fuerat quondã solidissima tellus,
Esse fretum, vidi fractas ex æquore terras,
Et procul a pelago Conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuẽta est in montibus Anchora summis. 265
Quodq; fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, & eluuie mons est deductus in æquor.
Eq; paludosa siccis humus aret arenis.
Quæq; sitim tulerant, stagnata paludibus humẽt.
Hic fontes natura nouos emisit, & illic 270
Clausit, & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut excæcata residunt.
Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu
Existit procul hinc, alioq; renascitur ore.
Sic modo cum bibitur, tecto modo gurgite lapsus 275
Redditus argolicis ingens Erasinus in agris,

Et Mysum, capitisq; sui, ripæq; prioris.
Pœnituisse ferunt, alia nunc ire Caicum.
Nec non sicanias voluens Amasenus arenas
280 Nunc fluit, interdum supressis fontibus, aret.
Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigrus aquas, postq̃ (nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lauere bimembres
Vulnera, Clauigeri quæ fecerat Herculis arcus.
285 Quid non & Scythicis Hypanis de mõtibus ortus
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant, Antissa, Pharosq;
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam veteres habuere coloni,
290 Nunc freta circumeunt, Zancle quoq; iuncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & media tellurem reppulit vnda.
Si quæris Helicen, & Buran Achæidas vrbes,
Inuenies sub aquis, & adhuc ostendere Nautæ
295 Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.
Est prope Pytheam tumulus Trœzena sine vllis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus, nam (res horrenda relatu)
Vis fera ventorum, cæcis inclusa cauernis,
300 Expirare aliqua cupiens, luctataq; frustra
Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec peruia flatibus esset,
Extentam tumefecit humum, ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut direpta bicornis
305 Terga capri, tumor ille loci permansit, & alti
Collis habet speciem, longoq; induruit æuo.
Plurima cum subeant audita, aut cognita nobis,

Pauca ſuper referã, quid non & Lympha figuras
Datq;, capitq; nouas, medio tua corniger Hammon
Vnda die gelida eſt, ortuq;, obituq;, caleſcit. 310
Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna receſſit in orbes,
Flumen habent cicones, quod potum ſaxea redit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis, & hinc Sybaris veſtris conterminus oris 515
Electro ſimiles faciunt, auroq; capillos.
Quodq; magis mirũ, ſunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita eſt obſcœnæ Salmacis vndæ?
Aethiopesq; lacus, quos ſi quis faucibus hauſit, 320
Aut furit, aut patitur mirũ grauitate ſoporem.
Clitorio quicunq; ſitim de fonte leuauit,
Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius vndis.
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino,
Siue q̃d Indigenæ memorãt, Amithaone natus 325
Prætidas attonitas poſtq̃ per carmen, & herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Miſit aquas, odiumq; meri permanſit in vndis.
Huic fluit effectu diſpar Lynceſtius Amnis,
Quem quicunq; parũ moderato gutture traxit, 330
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.
Eſt lacus Arcadiæ, Pheneum dixere priores,
Ambiguis ſuſpectus aquis, quas nocte timeto,
Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.
Sic alias, aliasq;, lacus, & flumina vires 335
Concipiunt, tempusq; fuit, quo nauit in vndis,
Nunc ſedet Ortygie, timuit concurſibus argo
Vndarum ſparſas ſymplegadas eliſarum,

Quæ nunc immotæ perstant, ventisq; resistunt.
340 Nec quæ sulfureis ardet fornacibus Aetna,
Ignea semper erit, neq; enim fuit ignea semper.
Nam siue est animal tellus, & viuit, habetq;
Spiramenta locis flammam exhalantia multis
Spirandi mutare vias, quotiesq; mouetur,
345 Has finire potest, illas aperire cauernas,
Siue leues imis venti cohibentur in antris,
Saxaq; cum saxis, & habentem semina flammæ
Materiam iactant, ea concipit ictibus ignem.
Antra reliquentur sedatis frigida ventis.
350 Siue bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis ardescunt sulfura fumis.
Nempe vbi terra cibos, alimentaq; pinguia flām æ,
Non dabit, absumptis per longū viribus æuum,
Naturæq; suum nutrimen deerit edaci,
355 Non feret illa famem, desertaq; deseret ignes.
Esse viros fama est in hyperborea Pallene,
Quis soleant leuibus velari corpora plumis,
Cum tritoniacam nouies subiere paludem.
Haud equidē credo, sparsæ quoq; mēbra veneno
360 Exercere artes scythides memorantur easdem.
Si qua fides rebus tamen est addenda probatis,
Nonne vides quæcunq; mora, fluidoq; calore
Corpora tabuerint in parua animalia verti?
I quoq;, delectos mactatos obrue tauros,
365 (Cognita res vsu) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operiq; fauent, in spemq; laborant.
Pressus humo bellator equus Crabronis origo est.
Concaua littoreo si demas brachia cancro,

Cætera ſupponas terræ, de parte ſepulta 370
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca,
Quæq; ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes tineæ, res obſeruata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas, 375
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat, vtq; eadem ſint longis ſaltibus apta.
Poſterior ſuperat partes menſura priores.
Nec catulus partu quem reddidit vrſa recenti,
Sed male viua caro eſt, lambendo mater in artus 380
Fingit, & in formã quantam capit ipſa reducit.
Nonne vides, quos cæra tegit ſexangula fœtus
Melliferarum apium ſine membris corpora naſci.
Et ferosq; pedes, ferasq; aſſumere pennas.
Iunonis volucrem, quæ cauda ſydera portat, 385
Armigerumq; Iouis, cithereidasq; columbas,
Et genus omne auium mediis e partibus oui
Ni ſciret fieri, quis naſci poſſe putaret?
Sunt qui cũ clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro
Mutari credant humanas angue medullas. 390
Hæc tamen ex aliis generis primordia ducunt,
Vna eſt, quæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales.
Aſſyrij phœnica vocant, nec fruge nec herbis,
Sed thuris lachrymis, & ſucco viuit amomi.
Hæc vbi quinq; ſuæ compleuit ſæcula vitæ, 395
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ.
Vnguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimulac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaq; cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha,
Se ſuper imponit, finitq; in odoribus æuum. 400

Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos,
Corpore de patrio paruum phœnica renasci.
Cum dedit huic ætas vires, onericq; ferendo est,
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ.
405 Fertq; pius, cunasq; suas, patriũq; sepulchrum,
Perq; leues auras Hyperionis æde potitus
Ante fores, sacras Hyperionis æde reponit.
Si tamen est aliquid miræ nouitatis in istis,
Alternare vices, & quæ modo fœmina tergo
410 Passa marẽ est, nunc esse marẽ miremur Hyenam.
Id quoq;, quod ventis animal nutritur, & aura,
Protinus assimilat, tetigit quoscunq; colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.
E quibus, vt memorant, quicquid vesica remisit,
415 Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.
Sic & coralium quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.
Desinet ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Aequore tinget equos, q̃ consequar omnia dictis.
420 In species translata nouas sic omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere robora gentes,
Concidere has, sic magna fuit, censuq;, viriscq;
Perq; decem potuit tantum dare sanguinis annos.
Nunc humilis veteres tantũmodo Troia ruinas,
425 Et pro diuitiis tumulos ostendit auorum.
Clara fuit sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile solum sparte est, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
430 Quid pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?
Nunc quoq; dardaniã fama est consurgere Romã.

Appenninigenæ quæ proxima Tybridis vndis
Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam creſcendo mutat, & olim
Immenſi caput orbis erit, ſic dicere Vates, 435
Faticinasq; ferunt ſortes, quantumq; recordor
Dixerat Aeneæ, cum res Troiana labaret
Priamides Helenus flenti, dubioq; ſalutis,
Nate dea, ſi nota ſatis præſagia noſtræ
Mentis habes, non tota cadet te ſoſpite Troia. 440
Flamma tibi, ferrumq; dabunt iter, ibis & vna
Pergama rapta feres, donec Troiæq;, tibiq;
Externum patrio contingat amicius aruum.
Vrbem etiam cerno phrygios debere nepotes,
Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis. 445
Hanc alij proceres per ſæcula longa potentem,
Sed dominam rerum de ſanguine natus Iuli
Efficiet, quo quum tellus erit vſa, fruentur
Aethereæ ſedes, cœlumq; erit exitus illi.
Hæc Helenum cecinisſe penatigero Aeneæ 450
Mente memor refero, cognataq; mœnia lætor
Creſcere, & vtiliter Phrygibus viciſſe Pelaſgos,
Ne tamen oblitis ad metam tendere, longe
Expatiamur equis, cœlũ & quodcũq; ſub illo eſt,
Immutat formas, telluſq;, & quicq̃d in illa eſt. 455
Nos quoq; pars mũdi (quoniã non corpora ſolũ
Verũ etiam volucres animæ ſumus, inq; ferinas
Poſſumus ire domos, pecudũq; in pectora condi)
Corpora quæ poſſunt animas habuiſſe parentũ,
Aut fratrũ, aut aliquo iunctorũ fœdere nobis, 460
Aut hominũ, certe tuta eſſe, & honeſta ſinamus,
Neve Thyeſtæi cumulemus viſcera menſis,

Quam male consuescit, quam se parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
465 Rumpit, & immotas præbet mugitibus aures?
Aut qui vagitus similes puerilibus hœdum
Edentem iugulare potest? aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos? q̃tum est quod desit in istis
At plenum facinus? quis transitus inde paratur?
470 Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis.
Horriferum contra Boream ouis arma ministret,
Vbera dant saturæ manibus pressanda capellæ.
Retia cum pedicis, laqueosq́, artesq́ dolosas
Tollite, nec volucres viscata fallite virga,
475 Nec formidanteis ceruos inludite pennis,
Nec cælate cibis vncos fallacibus hamos.
Perdite si qua nocent, verũ hæc quoq́ perdite tantũ
Ora vacent epulis, alimentaq́ congrua carpant.
Talibus atq́ aliis instructo pectore dictis
480 In patriam remeasse ferunt, vltroq́ petitum
Accepisse Numam populi latialis habenas.
Coniuge qui fœlix Nympha, ducibusq́ Camœnis
Sacrificos docuit ritus, gentemq́ feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.
485 Qui postq̃ senior regnumq́, æuumq́ peregit,
Extinctum, latiæq́ nurus, populusq́, patresq́
Defleuere Numam, nam coniux vrbe relicta
Vallis aricinæ densis latet abdita syluis.
Sacraq́ Oresteæ gemitu, quæstuq́ Dianæ
490 Impedit, ah quoties Nymphæ nemorisq́, lacusq́
Ne faceret, monuere, & consolantia verba
Dixerunt, quoties flenti Theseius Heros
Siste modum dixit, nec enim fortuna querenda

Sola tua est, similes aliorum respice casus.
Mitius ista feres, vtinamq; exempla dolentem, 495
Non mea te possent releuare, sed & mea possunt.
Fando aliquē Hippolytū, vestras si contigit aures
Crudelitate patris, sceleratæ & fraude nouercæ
Occubuisse neci mirabere, vixq; probabo.
Sed tamē ille ego sum, me pasiphaeia quondam 500
Tentatum frustra patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluisse, & crimine verso
Indiciiq; metu magis, offensave repulsæ
Arguit, immeritumq; pater proiecit ab vrbe,
Hostiliq; caput prece detestatur euntis. 505
Pytheiam profugo curru Trœzena petebam,
Iamq; corinthiaci carpebam littora ponti,
Cum mare surrexit, cumulusq; immanis aquarū
In montis speciem euruari, & crescere visus.
Et dare mugitus, summoq; cacumine findi. 510
Corniger hic taurus ruptis expellitur vndis,
Pectoribusq; tenus molles erectus in auras,
Naribus, & patulo partem maris euomit ore.
Corda pauent comitū, mihi mens interrita mansit
Exiliis contenta suis, cum colla feroces 515
Ad freta conuertunt, erectisq; auribus horrent
Quadrupedes, monstriq; metu turbantur, & altis
Præcipitant currum scopulis, ego ducere vana
Frena manu, spumis albentibus oblita, lustro,
Et retro lentas tendo resupinus habenas. 520
Nec vires tamen has rabies superasset equorum,
Ni rota, perpetuum, quæ circunuertitur axem
Stipitis occursu fracta, ac disiecta fuisset.
Excutior curru, loriscq; tenentibus artus

525 Viſcera viua trahi, neruoſq; in ſtirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprenſa relinqui,
Oſſa grauem dare fracta ſonum, feſſamq; videres
Exhalare animam, nullasq; in corpore partes
Noſcere quas poſſes, vnũq; erat omnia vulnus.
530 Num potes, aut audes cladi componere noſtræ
Nympha tuam? vidi quoq; carentia regna,
Et lacerũ foui Phlegethontide corpus in vnda,
Nec, niſi Apollineæ valido medicamine prolis
Reddita vita foret, quam poſtq̃ fortibus herbis,
535 Atq; ope pæonia dite indignante recepi,
Tum mihi, ne præſens augerem muneris huius
Inuidiam, denſas obiecit Cynthia nubes.
Vtq; forem tutus, poſſemq; impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit
540 Ora mihi, Cretenq; diu dubitauit habendam
Traderet, an Delon, Delo, Cretaq; relictis
Hic poſuit, nomenq; ſimul q̃d poſſit equorum
Admonuiſſe iubet deponere, quiq; fuiſti
Hippolytus dixit, nunc idem viribus eſto.
545 Hoc nemus inde colo, de diſcq; minoribus vnis
Numine ſub dominæ lateo, atq; aſſentior illi.
Non tamen Aegeriæ luctus aliena leuare
Damna valent, montiſq; iacens radicibus imis
Liquitur in lachrymas, donec pietate dolentis
550 Mota ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuauit in vndas.
At Nymphas tetigit noua res, & Amazone natus
Haud aliter ſtupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis aſpexit in aruis,
555 Sponte ſua primum, nulloq; agitante moueri.

Sumere mox hominis, terræq; amittere formam,
Oraq; venturis aperire recentia fatis
Indigenæ dixere Tagen, qui primus hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.
Vtq; palatinis hærentem collibus olim, 560
Cum ſubito vidit frondeſcere Romulus haſtam,
Quæ radice noua, non ferro ſtabat adacto.
Etiam non telum, ſed lenti viminis arbor
Non expectatas dabat admirantibus vmbras.
Aut ſua fluminea quum vidit Cippus in vnda 565
Cornua, vidit enim, falſamq; in imagine credens
Eſſe fidem, digitis ad frontem ſæpe relatis
Quæ vidit, tetigit, nec iam ſua lumina damnans
Reſtitit, vt victor domito veniebat ab hoſte,
Ad cœlumq; oculos, & eodem cornua tollens, 570
Quicquid ait ſuperi monſtro portenditur iſto,
Seu lætũ eſt patriæ, lætum, populoq; Quirini,
Siue minax mihi ſit, viridiq; e ceſpite factas
Placat odoratis herboſas ignibus aras.
Vinaq; dat pateris, mactatarumq; bidentum 575
Quid ſibi ſignificent trepidantia conſulit exta.
Quæ ſimul aſpexit tyrrhenæ gentis Haruſpex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis
Non manifeſta tamen, tum vero ſuſtulit acre
A pecudis fibris, ad Cippi cornua lumen. 580
Rex ait o ſalue, tibi enim tibi Cippe, tuisq;
Hic locus, & latiæ parebunt cornibus arces,
Tu modo rumpe moras, portasq; intrare patentes
Adpropera, ſic fata iubent, nanq; vrbe receptus
Rex eris, & ſceptro tutus potiere perenni. 585
Rettulit ille pedem, toruamq; a mœnibus vrbis

Auertens faciem, procul o procul omnia dixit
Talia di pellant, multoq; ego iustius æuum
Exul agam, q̃ me videant Capitolia regem.
590 Dixit, & extemplo, populũq;, grauemq; senatum
Conuocat, ante tamẽ capitis noua cornua fronde
Velat, & aggeribus factis a milite forti
Insistit, priscoq; deos e more precatus,
Est ait hic vnus quem vos nisi pellitis vrbe
595 Rex erit, is qui sit, signo, non nomine dicam.
Cornua fronte gerit, quem nobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia iura daturum.
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas,
Sed nos obstitimus, q̃uis coiunctior illo
600 Nemo mihi est, vos vrbe virũ prohibete quirites,
Vel si dignus erit, grauibus vincite cathenis,
Aut finite metum fatalis morte tyranni,
Qualia succinctis, vbi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt, aut qualia fluctus
605 Aequorei faciunt, si quis procul audiat illos,
Tale sonat populus, sed per confusa trementis
Verba tamen vulgi vox eminet vna, quis ille est.
Et spectant frontes, prædictaq; cornua quærunt.
Rursus ad hos Cippus, quẽ poscitis inquit habetis.
610 Et dempta capiti populo prohibente corona
Exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
Demisere oculos omnes, gemitumq; dedere,
Atq; illud meritis clarum (quis credere possit?)
Inuiti videre caput, nec honore carere
615 Vlterius passi, festam imposuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vetaris,
Ruris honorati tantum tibi Cippe dedere,

Quantum depresso subiectis bubus aratro
Complecti posses ad finem lucis ab ortu.
Cornuaq; auratis miram referentia formam 620
Postibus insculpunt, longũ mansura per æuum,
Pandite nunc musæ præsentia numina Vatum,
(Scitis enim, nec nos fallit spaciosa vetustas)
Vnde Coroniden circunflua Tybridis alti
Insula Romuleæ sacris adiecerit vrbis. 625
Dira lues quondam latias vitiauerat auras,
Pallidaq; exangui squallebant corpora morbo.
Funeribus fessi postq̃ mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cœleste petunt, mediamq; tenentis 630
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi,
Vtq; salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæq; vrbis mala finiat, orant.
Et locus, & laurus, & quas habet ipse pharetras,
Intremuere simul, cortinaq; reddidit imo 635
Hanc adyto vocem, pauefactaq; corpora mouit.
Quod petis hinc, propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis auibus, prolemq; accersite nostram. 640
Iussa dei prudens postq̃ accepere senatus,
Quam colat explorat iuuenis Phœbeius vrbem,
Quiq; petant ventis Epidauria littora mittunt,
Quæ simul incurua missi tetigere carina,
Consilium, graiosq; patres adiere, darentq; 645
Orauere deum, qui præsens funera gentis
Finiat Ausoniæ, certant adiicere sortes.
Dissidet, & variat sententia, parsq; negandum

Non putat auxilium, multi retinere, suamq;
650 Non emittere opem, nec numina tradere suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Vmbraq; telluris tenebras induxerat orbi.
Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum Romane torum, sed qualis in æde
655 Esse solet, baculumq; tenens agreste sinistra
Cæsariem longe dextra deducere barbæ.
Et placido tales emittere pectore voces.
Pone metũ, veniã simulachraq; nostra relinquã.
Hunc modo serpentẽ, baculũ qui nexibus amplexit,
660 Perspice, & vsq; nota, visum vt cognoscere possis.
Vertar in hunc, sed maior ero, tantusq; videbor,
In quantum verti cœlestia corpora debent.
Extemplo cum voce deus, cum voce, deoq;
Somnus abit, somniq; fugam lux alma secuta est.
665 Postera sydereos aurora fugauerat ignes,
Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conueniunt operosa dei, quaq; ipse morari
Sede velit, signis cœlestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
670 In serpente deus prænuncia sibila mouit,
Aduentuq; suo, signumq;, arasq;, foresq;,
Marmoreumq; solum, fastigiaq; aurea mouit,
Pectoribusq; tenus media sublimis in æde
Constitit, atq; oculos circuntulit igne micantes.
675 Territa turba pauet, cognouit numina castus
Euinctus vitta crines albente sacerdos.
En deus est, deus est, animis, linguisq; fauete,
Quisquis adest dixit, sis o pulcherrime visus
Vtiliter, populosq; iuues tua sacra colentes.

Quiſquis adeſt, viſum veneratur numen, & omẽs 680
Verba ſacerdotis referunt geminata, piumq;
Aeneadæ præſtant & voce, & mente fauorem.
Annuit his, motisq; deus rata pignora criſtis.
Et repetita dedit vibrata ſibila lingua.
Tum gradibus nitidis elabitur, oraq; retro 685
Flectit, & antiquas, abiturus reſpicit aras.
Aſſuetasq; domos, habitataq; templa ſalutat.
Inde per iniectis ad opertam floribus ingens
Serpit humũ, flectitq; ſinus, mediãq; per vrbem
Tendit, & incuruo munitos aggere portus, 690
Reſtitit hic agmenq; ſuum, turbæq; ſequentis
Officium, placido viſus dimittere vultu,
Corpus in Auſonia poſuit rate, numinis illa
Senſit onus, preſſaq; dei grauitate carina.
Aeneadæ gaudent, cæſoq; in littore tauro 695
Torta coronatæ ſoluunt retinacula nauis.
Impulerat leuis aura ratem, deus eminet alte,
Impoſitaq; premens puppim ceruice recuruam
Cæruleas deſpectat aquas, modicisq; per æquor
Ionium Zephyris ſextæ pallantidos ortu 700
Italiam tenuit, præterq; lacinia templa
Nobilitata dea, ſcylleaq; littora fertur.
Linquit Iapygiam, leuibusq; Amphryſia remis
Saxa fugit, dextra prærupta Ceraunia parte,
Romechiumq; legit, Caulonaq;, Naritiamq;, 705
Euincitq; fretum, ſiculiq; anguſta Pelori,
Hippotadæq; domos regis themeſesq; metalla
Leucoſiamq; petit, tepidiq; roſaria peſti,
Inde legit Capreas, promontoriumq; Mineruæ,
Et ſurrentinos generoſo palmite colles. 710

Herculeamq; vrbem, Stabiasq;, & in ocia natam
Parthenopen, & ab hac cumææ templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes, lentisciferumq; tenetur
Linternũ, multamq; trahens sub gurgite arenam
715 Vulturnus, niueisq; frequens Sinuessa colubris.
Minturnæq; graues, & quã tumulauit alumnus,
Antiphatæq; domus, Trachasq; obsessa palude,
Et tellus circæa, & spissi littoris Antium.
Huc vbi veliferam nautæ aduertere carinam,
720 (Asper enim iam pontus erat) deus explicat orbes,
Perq; sinus crebros, & magna volumina labens,
Templa parentis init flauum tangentia littus.
Aequore placato patrias Epidaurius aras
Linquit, & hospitio iuncti sibi numinis vsus
725 Littoream tractu squammæ crepitantis Arenam
Sulcat, & innixus moderamine nauis, in alta
Puppe caput posuit, donec Castrumq;, sacrasq;
Lauini sedes, Tyberinaq; ad hostia venit.
Huc omnes populi passim matrumq;, patrumq;
730 Obuia turba ruit, quæq; ignes troica seruat
Vesta tuos, lætoq; deum clamore salutant.
Quaq; per aduersas, nauis cita ducitur vndas
Thura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab vtraq; sonant, & odorant aera fumis.
735 Ictaq; coniectos incalfacit hostia cultros.
Iamq; caput rerum, Romanã intrauerat vrbem.
Erigitur serpens, summoq; accliuia malo
Colla mouet, sedesq; sibi circunspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circunfluus amnis,
740 Insula nomen habet, laterũq; a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.
Huc se delata pinu Phœbeius anguis

Contulit, & finem, specie cœleste resumpta,
Luctibus imposuit, venitq; salutifer vrbi.
Hic tamen accessit delubris aduena nostris. 745
Cæsar in vrbe sua deus est, quem Marte, togaq;
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Resq; domi gestæ, properataq; gloria rerum
In sydus vertere nouum, stellamq; comantem,
Quam sua progenies, nec enim de Cæsaris actis 750
Vllum maius opus, quã quod pater extitit huius.
Scilicet æquoreos plus est domuisse Britannos,
Perq; papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates, Numidasq; rebelles,
Cyniphiumq; Iubam, Mithridateisq; tumentem 755
Nominibus Pontum, populo adiecisse Quirini,
Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quam tantũ genuisse virum, quo præside rerum
Humano generi superi fauistis abunde.
Ne foret hic igitur mortali semine natus, 760
Ille deus faciendus erat, quod vt aurea vidit
Aeneæ genitrix (vidit quoq; triste parari
Pontifici letum, & coniurata arma moueri)
Palluit, & cunctis, vt cuiq; erat obuia diuis
Aspice dicebat, quanta mihi mole parentur 765
Insidiæ, quantaq; caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio solum mihi restat Iulo,
Sola ne semper ero iustis exercita curis?
Quam modo tydidæ calydonia vulneret hasta,
Nunc male defensæ confundant mœnia Troiæ, 770
Quæ videam natum longis erroribus actum,
Iactariq; freto, sedesq; intrare silentum,
Bellaq; cum Turno gerere, aut, si vera fatemur,

Cum Iunone magis, quid nunc antiqua recordor
775 Damna mei generis? timor hic meminisse priorũ
Non sinit, in me a cui sceleratos cernitis enses
Quos prohibete precor, facinusq; repellite, neve
Cæde sacerdotis flammas extinguite vestæ.
Talia nequicq̃ toto Venus anxia cœlo
780 Verba iacit, superosq; mouet, qui rumpere quanq̃
Ferrea non possunt veterum decreta sororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesq; tubas, auditaq; cornua cœlo
785 Præmonuisse nefas, Solis quoq; tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris.
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cœrulus & vultum ferrugine lucifer atra
790 Sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus.
Tristia mille locis stygius dedit omina bubo,
Mille locis lachrymauit ebur, cantusq; feruntur
Auditi, sanctis & verba minantia lucis.
Victima nulla litat, magnosq; instare tumultus
795 Fibra monet, cæsumq; caput reperitur in extis.
Inq; foro, circumq; domos, & templa deorum
Nocturnos vlulasse canes, vmbrasq; silentum
Errauisse ferunt, motamq; tremoribus vrbem.
Non tamen insidias, venturaq; vincere fata
800 Præmonitus potuere deum, strictiq; feruntur
In templum gladij, nec enim locus vllus in vrbe
Ad facinus, diramq; placet nisi curia cædem.
Tum vero Cytherea manu percussit vtraq;
Pectus, & Aetherea molitur condere nube,
805 Qua prius infesto paris est ereptus Atridæ,

Et Diomedeos Aeneas fugerat enſes.
Talibus hanc genitor,ſola inſuperabile fatum
Nata mouere paras,intres licet ipſa ſororum
Tecta trium,cernes illic molimine vaſto
Ex ære,& ſolido rerum tabularia ferro, 810
Quæ neq; concuſſum cœli,neq; fulminis iram,
Nec metuunt vllas tuta atq; æterna ruinas.
Inuenies illic inciſa adamante,perenni
Fata tui generis,legi ipſe,animoq; notaui,
Et referam,ne ſis etiamnum ignara futuri, 815
Hic ſua compleuit pro quo Cytherea laboras
Tempora,perfectis quos terræ debuit annis.
Vt deus accedat cœlo,templisq; colatur,
Tu facies,natus q; ſuus,qui nominis hæres
Impoſitum feret vnus onus,cæſiq; parentis 820
Nos in bella ſuos fortiſſimus vltor habebit.
Illius auſpiciis obſeſſæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ,Pharſalia ſentiet illum
Emathiiq; iterum m adeſcent cæde Philippi,
Et magnum ſiculis nomen ſuperabitur vndis. 825
Romaniq; ducis coniux Aegyptia tædæ
Non bene fiſa cadet,fruſtraq; erit illa minata
Seruitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.
Quid tibi barbaricas,gentes ab vtroq; iacentes
Oceano numerem? quodcunq; habitabile tellus 830
Suſtinet,huius erit,pontus quoq; ſeruiet illi.
Pace data terris,animum ad ciuilia vertet
Iura ſuum,legesq; feret iuſtiſſimus autor,
Exemploq; ſuo mores reget,inq; futuri
Temporis ætatem,venturorumq; nepotum 835
Proſpiciens,prolem ſancta de virgine natam

Ferre ſimul,nomencq; ſuum,curasq; iubebit.
Nec niſi cum ſenior ſimiles æquauerit annos,
Aethereas ſedes,cognataq; ſydera tanget.
840 Hanc animam interea cæſo de corpore raptam.
Fac iubar vt ſemper capitolia noſtra,forumq;
Diuus ab excelſa proſpectet Iulius æde.
Vix ea fatus erat,media cum ſede ſenatus
Conſtitit alma Venus nulli cernenda,ſuiq;
845 Cæſaris eripuit membris,nec in aera ſolui
Paſſa recentem animam,cœleſtibus intulit aſtris.
Duriq; tulit,numen capere,atq; igneſcere ſenſit.
Emiſitq; ſimul,ſimul euolat altius illa,
Flammiferumq; trahens ſpacioſo limite crinem
850 Stella micat,natiq; videns benefacta fatetur
Eſſe ſuis maiora,& vinci gaudet ab illo.
Hic ſua præferri quanquã vetat acta paternis,
Libera fama tamen,nulliſq; obnoxia iuſſis
Inuitum præfert,vnaq; in parte repugnat.
855 Sic magnis cedit titulis Agamemnonis Atreus,
Aegea ſic Theſeus,ſic Pelea vincit Achilles.
Deniq; vt exemplis ipſos æquantibus vtar,
Sic & Saturnus minor eſt Ioue,Iuppiter arces
Temperat Aetherias,& mundi regna triformis.
860 Terra ſub Auguſto,pater eſt,& rector vterq;.
Di precor Aeneæ comites,quibus enſis,& ignis
Ceſſerunt,diq; indigetes,genitorq; Quirine
Vrbis,& inuicti genitor Gradiue Quirini
Veſtaq; Cæſareos inter ſacrata penates,
865 Et cum Cæſarea tu Phœbe domeſtice veſta,
Quiq; tenes altus tarpeias Iuppiter arces,
Quosq; alios vati fas appellare piumq; eſt,

Tarda sit illa dies, & nostro serior æuo,
Qua caput augustũ, quem temperat, orbe relicto
Accedat cœlo, faueatq; precantibus absens. 870

TAmq; opus exegi, q̃d nec Iouis ira, nec ignes
Neq; poterit ferrũ, nec edax abolere vetustas
Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spacium mihi finiat æui.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum.
Quaq; patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perq; omnia sæcula fama,
Si quid habent veri Vatum præsagia, viuam.

FINIS.

Argentorati, Ex Aedibus Matthiæ
Schurerij Mense Iulio Anno
Christi Iesu. M.D.XV.

Ductu Leonhardi, & Lucæ Alantseæ fratrum.

REGNANTE IMPERATORE
CAESARE MAXIMILIAN.
P. F. AVG. P. P.

LIBER

Tarda ſit illa dies, &
Qua caput auguſtũ,
Accedat cœlo, fauea

Tamq; opus e
Nec poterit f
Cum volet illa dies,
lus habet, incerti ſpa
Parte tamen meliore
Aſtra ferar, nomenq
Quaq; patet domiti
Ore legar populi, pe
Si quid habent veri

F

Argentorat
Schurer
Chri

Ductu Leonhard

REGNAN
CAESAR
P. F

211

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 490
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm Inch